

HADRIANVS. CARDIN  
SOGONI. AD. DOM  
NALEM. GRI  
SERMONE



Vm Bononi  
causa conuer  
nos/ut fit inte  
sermonis ele  
Apulei/Sido  
uerbis q̄ foet  
stria promer

exoleta nimis/aut noua & om  
ego libere/ut soleo/ contra eor  
stomacho protulisset/ idq̄ ani  
rem non tam paucorum ipsor  
q̄ cæterorum fere nostri tempo  
esse errorē / foreq̄ breui ut relic  
omnino linguam & quasi barb  
illis lōgo quidem tractata sermo  
perpetua oratione collegi/ad te  
ditissimum/ Qui in maximis C  
intermittis studia doctrinæ/ Se  
aut alios incitas ad scribendum  
rerum/quæ in omni Philosoph  
scribentiū multitudīne/ & inger  
assentari/atq̄ auribus tuis ista p  
illis egerimus exponam<sup>9</sup>. Qu  
conditam uidentur latinorū De  
mū. Antiquum. Perfectum. Im  
rimus ab Vrbe condita peruen  
Interuallumq̄ illud. xiiii. & Qu  
lius in Bruto commemorat/ &  
fuisse significat/cū dicit / Habe  
tempus Liui scriptoris ab æuo

*Mensis  
ab Alex.  
3. col. 206.*

HADRIANVS. CARDINALIS. SANCTI. CHRYSO-  
SOGONI. AD. DOMINICVM. CARDI-  
NALEM. GRIMANVM. DE. *Hadrianus Castellensis*  
SERMONE. LATINO. *creatus Cardinalis ab Alex.*  
*6.º ann. 1503. Ciacon. t. 3. col. 206.*



Vm Bononiæ uiri me aliquot eruditi / officii  
causa conuenissent / commentaremurq; inter  
nos / ut sit inter litterarum studiosos / de Latini  
sermonis elegantiâ / audiremurq; eorū plerosq;  
Apulei / Sidonii / Capellæ / Fulgentii / non tam  
uerbis q̄ foetoribus scaturire / uerbaq; de indu-  
stria promere aliorū etiam auctoꝝ / quæ aut  
exoleta nimis / aut noua & omnino barbara uiderētur / multaq;  
ego libere / ut soleo / contra eorū sermonis insolentiam non sine  
stomacho protulissim / idq; animosius essem aggressus / q̄ uide-  
rem non tam paucorum ipsorū qui mecum ita essent / congressi  
q̄ cæterorum fere nostri temporis hominū unum atq; eundem  
esse errorē / foreq; breui ut relicta uetere ueraq; latinitate in aliã  
omnino linguam & quasi barbariem cōmigremus / ea quæ / cū  
illis lōgo quidem tractata sermone & altiore repetita principio  
perpetua oratione collegi / ad te direxi uirum nostri ordinis eru-  
ditissimum / Qui in maximis Christianæ reip. negociis nunq;  
intermittis studia doctrinæ / Semper .n. aut ipse scribis aliquid:  
aut alios incitas ad scribendum / inuestigator & diligens earum  
rerum / quæ in omni Philosophiã / aut natura sunt inuolutæ / aut  
scribentiū multitudinē / & ingenioꝝ uarietate perplexæ: Sed ne  
assentari / atq; auribus tuis ista potius dare uideamur / iam qd cū  
illis egerimus exponam⁹ . Quattuor propemodū post Romã  
conditam uidentur latinorū Doctoꝝ fuisse tempora. Antiquissi-  
mū. Antiquum. Perfectum. Imperfectum. Antiquissimū repe-  
rimus ab Vrbe condita peruenisse usq; ad Liuium Andronicū:  
Interuallumq; illud .xiiii. & Quingentorū annorū fuisse. M. Tul-  
lius in Bruto commemorat / & Oratius primum hunc scriptoꝝ  
fuisse significat / cū dicit / Habet hos numeratq; Poetas Ad n̄m  
tempus Liui scriptoris ab æuo. In quo quidem temporis inter-

482  
uallo fuisse per multos doctos suspicari magis (ut inquit Cicero)  
quod intelligere possumus / cum nulla penitus eorum extant in literis  
monumenta praeter orationem Appii Caei / & quasdam  
Mortuorum laudationes / sicut in originibus scriptum reliquit  
Cato. Antiquum uero tempus id dicemus Quod ab ipso Lulio  
usque ad aetatem Ciceronis interfuit / Quod quidem uix centum  
annos ut ex ipso Cicero colligitur excessit. In hoc autem  
temporis spatio & si quod plurimi doctissimi uiri floruerunt / eos  
tamen horridioribus uerbis usos / & sine cultu & uerborum de-  
lectu locutos fuisse / Ciceronis sequens aetas notauit / ut uerum  
id esse appareat quod dicitur / Nihil esse simul inuentum & per-  
fectum / Repertores enim fuerant & quasi Architecti latinitatis  
ut praclare dicit Oratius / cum lingua Catonis & Enni Sermo-  
nem patrium ditauerit / & noua rerum nomina protulerit.  
Nam Lulium anno ipso ante Ennium docuisse Fabulam / &  
Catonem Enni fuisse aequalem scribit Cicero in Bruto / qui Li-  
uium inepte scripsisse testatur dicens eum docuisse fabulam non  
satis dignam quae iterum legeretur. Et de Ennio Ouidius de  
Tristibus: Ennius ingenio maximus / arte rudis. Testificat hoc  
ipsum Suetonius in Libello de claris grammaticis his uerbis.  
Grammatica Romae ne in usu quidem olim / nedum in honore  
fuit / nullo liberalibus disciplinis uacante. Initium quoque eius me-  
diocre extitit / Siquidem antiquissimi doctores / quidam & Poetae  
& semigræci erant: Lulium & Ennium dico / quos utraque lingua  
domi forisque docuisse adnotatum est. Catonis uero orationes  
ut illis temporibus ualde Cicero in Bruto laudat: addit tamen  
significare illas formam quandam ingenii / sed admodum im-  
polutam & plane rudem: Et paulo post Antiquior inquit est Catonis  
sermo: & quaedam horridiora uerba: ita enim tunc loquebantur  
& eundem iam desitum legi testatur: cum ait: Catonem uero quis  
nostrum oratorum qui quidem nunc sunt legit: aut quis nouit om-  
nino? Et subdit non ignorare se nondum satis esse politum hunc  
& quaerendum esse aliquid perfectius: Quo tempore etiam fuit  
Cornelius cethegus / quem Cicero primum fuisse eloquentem affirmat:  
Enni testimonio: quod in Annalibus suis sic de eo scripsit: Additus

Ora  
fueru  
P. Sc  
Phil  
prisc  
Sup  
dura  
Lau  
qua  
mul  
Cic  
oste  
ex M  
uio  
& L  
mag  
dixi  
Ma  
Et C  
non  
de S  
ope  
L. C  
atq  
ina  
nec  
ne u  
ant  
run  
Tu  
der  
sio  
tio  
alic  
era

Orator Cornelius suauiloquente ore Ceregius paulo uero post fuerunt Neuius: Plautus: Cæcilius: Pacuius: Actius. C. Lælius: P. Scipio: Gracchi fratres: Scæuola .L. Crassus . M. Antonius: Philippus. C. Cotta: & innumeri alii quos ætas Ciceronis modo præcos/modo ueteres/modo Patres/interdum antiquos: aliquando Superiores appellat . quos quidem ueteres nimis antique & plerumque dure locutos notauit Oratius cum dicit: Si ueteres ita miratur: Laudatque Poetas: ut nihil anteferat: nihil illis comparer: errat: Si quædam nimis antique: si plerumque dure dicere credat eos: ignaue multa fatetur & sapit: & mecum facit: & Ioue iudicat æquo. Cicero quoque ueterum illum Sermonem se quoque improbare ostendit: cum in Bruto dicit: Illius autem ætatis qui sermo fuerit ex Neuianis scriptis colligi potest: & subdit: Cæcilium & Pacuuium male locutos uidemus. Hinc Quintilianus: Actio inquit & Pacuuius nitor: & summa in excolendis operibus manus magis uideri potest temporibus quam ipsis defuisse. Idem etiam dixit Lucretium non facere phrasim id est corpus eloquentiæ: Martialis etiam de his ait. Actius & quicquid Pacuuiusque uomunt Et Cicero in Bruto . Carbonis & Gracchi habemus orationes nondum satis splendidas uerbis: sed acutas: Et subdit. C. Gracchum de Superioribus solum lego: manus tamen extrema non accessit operibus eius: præclare incohat multa: perfecta non plane: & iterum L. Cotta cum uerbis tum etiam sono quasi subrustico persequebatur atque imitabatur antiquitatem. Et in eodem Curionis loci sane inanes: ueruntamen nondum tritis nostrorum hominum auribus: nec erudita ciuitate tolerabiles. Et Quintilianus Pueros monet ne ueterum admiratores sint dum sic præcipit: Ne quis pueros antiquitatis nimis admirator in Gracchorum: Catonisque & aliorum similium lectione durescere uelit: fient. u. horridi & ieiuni: Tum autem quod quasi per gradus eloquentia ad perfectionem ascenderit testatur Cicero in eodem Bruto cum dicit: Quæ fuerit ascensio: & quam in omnibus rebus difficilis optimi perfectio atque absolutio ex eo quod dicam æstimari potest: & paulo post connumeratis aliquot oratoribus: quod seni iam Ennio successerat subiungit. Jam n. erat quædam unctior & splendidior consuetudo loquendi. Et subdit

182  
Sergius deinde Galba princeps ex latinis contulit orationi propria ornamenta. Videre licet alios deinde gradus. Cum idem Cicero subdit. L. Furius Pilus perbene loqui latine putabatur. Litteratusque quam ceteri. L. Scævola paulo est copiosior. Et addit Erat etiam Philippus in primis ut temporibus illis græcis litteris institutus. Et in eodem Bruto ad Gracchorum ætatē laus eloquētiæ perfecta nondum fuit. Eloquētiæ autē ueluti gradus ut dixi factos esse docet idem Cicero in Tusculanis dicens: At contra oratorem celeriter complexi sumus, nec eum prius eruditum aptum tamen ad dicendum, post autē eruditum, nam Galbam, Africanum, Lælium doctos fuisse memoriæ traditum est. Studiosam autē eum qui illis anteibat Catonem, post uero Lepidum, Catonem, Gracchos, deinde ita magnos nostram ad ætatem ut non multum aut uihil omnino græcis cederetur. Et alibi. P. Scipio latine loquendo omnes superabat, & iterum Quinti Catuli non antiquo illo more sed pene hoc nostro. Et Cicero in eodem Bruto notat ætatem ætati suæ proximam non dum perfecte locutam dicens: Inferioris autē ætatis erat proximus. L. Sisenna doctus uir, studiis optimis deditus, bene latine loquens, huius omnis facultas ex historia ipsius perspicui potest: Qui cum facile omnes uincat superiores, indicat tamen quantum absit a summo, nam usus est aliquando ueteribus uerbis, & ab usu perfecto, & auribus eruditis remotis, recte enim loqui putabat esse inusitate loqui. De his gradibus Quintilianus ita meminit: Fuerunt quedam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioquin magnam uim ingenii præferentia, hinc sunt Lælii, Africani, Catones, Gracchi, mediam illam formam tenent L. Crassus. Q. Hortensius, tum deinde efflorescit non multum inter se distantium hominum oratorum ingens proventus, Sed Cornelius Tacitus de claris oratoribus hanc distinctam ueterum imperfectionem notat his uerbis, Quod ad Ser. Galbam & C. Lælium attinet, & si quos alios antiquorum agitare non desistis, non exigit defensorem, cum fateatur quedam eloquentiæ eorum ut nascenti adhuc nec satis adultæ defuisse: Sed hanc nimiam uetustatem Cicero omnino explodendam in Bruto monet: Sed nimiam inquit uetustas nec habet eam quam quærimus summitatem, nec

est sane tolerabilis . Haftenus de tempore antiquo : deinceps  
 de Perfecto dicemus . Cæsar ut idem Cicero refert rationem  
 adhibens consuetudinē prisci sermonis uitiosam & corruptam  
 pura & incorrupta consuetudine emendabat / splendidā quandā  
 minimeq; ueteratoriam rationem dicendi tenens / scripsitq; ad  
 Ciceronem de ratione latine loquendi / ac primo in libro dixit:  
 Verborū delectum originē esse eloquentiæ / eiusq; copiæ prin  
 cipem / inuētoremq; Ciceronem esse / quod affirmare uidetur &  
 ipse Cicero dum in Bruto sic loquitur Certe nos & boni aliqd  
 attulimus iuuentuti / magnificentius q̄ fuerit illud genus dicendi  
 & ornatius / & nocuimus fortasse q̄ ueteres orationes post nos  
 stras (non ame quidē) meis . n. illas antepono / sed a plerisq; le  
 gi sunt desitæ / & subdit . Cū aut ex Sicilia me recepissem iam ui  
 debatur illud in me quicquid esset esse perfectuz / & habere ma  
 turitatem quandā suā / fuisse aut eandem perfectionē in plerisq;  
 Ciceronis æqualibus testatur idem in eodem libro / ubi cōnume  
 ratis compluribus sui temporis oratoribus / nec ulla inquit ætate  
 uberior Oratorū fœtus fuit : Et in eodē . xxx . annis mihi Crassus  
 ætate præstabat / quod iccirco posui / ut dicendi prima maturitas  
 in qua ætate extitisset posset notari / & intelligeretur iam ad  
 summum pene esse perductam / ut eo nihil ferme quisq; addere  
 possit : Et idem in Tusculanis : non solum perfectionem ætatis  
 suæ testatur / sed interituram breui eloquentiam prædicit . Ora  
 torum inquit laus ita ducta ab humili uenit ad summum / ut  
 iam quod natura fert in omnibus rebus / fere senescat : breuiq;  
 tempore ad nihilum uentura uideatur : de cuius ætatis perfectio  
 ne Cicero in quadam Epistola ad Atticum de Tulliola filia  
 loquens : Ergo (inquit) his temporibus tam eruditis quantum  
 fieri poterit / illam consecrabo omni genere monumentorum :  
 Et Oratius : Venimus ad summum fortunæ / pingimus atq;  
 psallimus & luctamur Achiuis doctius unctis : Et Solinus de  
 Augusto loquens : Quod tempus inquit ferme solum reper  
 tum est quo plurimum & arma cessarunt & ingenia floruerunt :  
 Et Plinius de Naturali historia de . M . Varrone loquens / in illa  
 Inquit ingeniorum quæ tunc fuit multitudine : Et Oratius

Veterum ætatem carpens / & suam perfectam affirmans de Lucilio sic scribit: Si foret hoc nostrum fato delapsus in ævum / deterreret sibi multa: recideret omne quod ultra perfectam traheretur: & in uersus faciendo sæpe caput scaberet / uiuos & roderet ungues: & Quintilianus postq̄ ut potuit defendit Luciliū a nota Oratii: qui eum fluere Lutulentū dixerat / perfectiorē eo Oratium fatetur cum dicit / multo est tersior ac purus magis Oratius. Hanc perfectionē idem Quintilianus dat Tibullo dicens: Tersus atq̄ elegans uidetur esse Tibullus / sunt qui Propertium malint / & idem de Virgilio loquens / ut illi naturæ cœlesti atq̄ immortalī cesserimus / ita curæ & diligentia / Et subdit Cateri lōge sequentur / & de Cicerone Nec uero quod in quoq̄ optimū fuit studio cōsecutus est tantū / sed uel plurimas aut potius oēs / ex se ipso uirtutes extulit immortalis illa ingenti & beatissima ubertas: Et subdit Vt nō hoīs nomē sed eloquētiæ uideatur. Et de Cæsare q̄ pfecte loqueretur Cicero in Bruto. Cæsar latine loquebat̄ elegāissime / nec id solū domestica cōsuetudine / tamen ut esset pfecta illa bene loquendi laus / multis lris & iis quidē reconditis & exquisitis summo studio & diligentia est cōsecutus: Erat præterea Hortēsius ut inquit Cicero Verborū splēdore elegās / erāt in L. Torquato plurimæ lra / nō eæ uulgares sed interiores & reconditæ / & summa uerborū grauitas & elegātia: L. Domitius nulla qdē arte sed latine dicebat. Erat Pisoni uerborū delectus elegans / in M. Claudio aut uerbū nullū aut durū / aut insolēs / aut humile / aut in lōgius ductū. Marcellus lectis uerbis utebat̄: Quid plures huius ætatis coner præterea cōquirere: quorū nomia ut doctissimorū uiroꝝ multis in locis cōnumerata cōperire poterim? Scripta aut cū sint uetustate deleta nusq̄ reperiemus: quin potius eius t̄pis ea proferamus quorū monumēta quotidie in manibus uersant̄. Lege multorū Ep̄las / quæ inter Cicerōis Ep̄las legunt̄ ut Seruii Sulpitii. M. Marcelli. Q. Metelli celeris. Q. itē Metelli nepotis. P. Vatini. L. Lucei. M. Bithyni. Curiōis. M. Cœli. Dolabellæ. Cn. Planci. Galbæ. C. Aſinii Polhōis. M. Læpidi. A. Cæcinnæ. Decii Bruti. M. item Bruti. C. Cassi. C. Matii. P. Lentuli. Trebonii. M. Catonis. C. Cæsaris. Cn. Pompei. Q. Ciceronis:

Ciceronis filii: Cornelii Balbi: Oppii: Hirsi: quos & pene infinitos alios eruditissimos viros florentissima hæc Ciceronis ætas effudit, ut dicas in hac sola inesse succum illū, & quasi sanguinez incorruptæ latinitatis, ac nō fucatū sed naturalē quendā eloquentiæ nitere candorem pari propemodū ingenii fœlicitate & uerborū elegantia, ut si titulos dempseris, illas nō facile a Ciceronis Eplis internoscas: quod præclare Corn. Tacitus de Claris Oratoribus cōprobat cū dicit: Sicut apud nos Cicero quidē ceteros eorundē tempore disertos antecessit: Sic Caluus, & Asinius, & Cæsar, & Brutus iure prioribus & sequentibus anteponunt, nec refert q̄ inter se specie differant cum genere consentiant, at strietior Caluus, numerosior Asinius, splendidior Cæsar, amarior Cœlius, grauior Brutus, uehementior & plenior & ualentior Cicero, omnes tamen eandē sanctitatem eloquentiæ ferunt, ut si omnium pariter libros in manus sumpseris, fatearis quīs in diuersis ingenis esse quandam iudicii ac uoluminis similitudinem & cognationem. ¶ Sed iam de imperfecto & corrupto potius ac uitioso tempore (ut proposuimus) aliquid afferamus: Secuta post ætatem Ciceronis alia Doctorum ætas satis uel eorum proprio testimonio indicauit non solum quantum a cacumine & fastigio præcedentis ætatis abfuerit: uerū etiā mutato dicendi genere & eloquentia omni prope in barbariem uersa, ad imum celerius quidem q̄ ascenderat properarit, Quod ut luce clarius uideatur, pauca quæ ex multis breuitatis causa collegi labenti stilo ueluti quodam inducto freno subnectam. Seneca in Prologo primæ declamationis, ut possitis inquit æstimare quantum quotidie ingenia decrescant, & nescio qua iniquitate & ad malum pronitate naturæ eloquentia se retro tulerit: Quicquid habet Romana facundia, quod insolenti græciæ aut opponat, aut præferat circa Ciceronem effloruit, omnia ingenia quæ lucem nostris studiis attulerunt tunc nata sunt, in deterius quotidie data res est, ut ad summum perducta, rursus ad infimum uelocius quidem q̄ ascenderat relabarur: Quod etiam affirmat Statius in Epistola Siluarum suarum dicens:

Manlius certe uopiscus uir eruditissimus / qui uindicat a situ  
litteras iam pene fugientes. Et Quintilianus dicendi (inquit)  
mutauimus genus / & ultra nobis q̄ oportebat indulsumus: Et  
alibi: Quid multa: totus prope mutatus est sermo: Et Diome-  
des grammaticus hanc litterarum bonarum quasi ruinam testa-  
tur cum dicit: Iniecit postera ætas manum / & ueluti disciplinam  
pristini sæculi / ita sermonem fastidire cœpit / & noua ueluti  
parturire uerba: Et alibi: Quasi ante oculos ponit non solum  
Imperfectionem sui sæculi sed etiam nostri dum ait: Quid q̄  
nihil iam proprium placet dum parum creditur disertum quod  
alius dixerit: a corruptissimo quoq; Poetarum figuras seu trans-  
lationes mutuamur / tum demum ingeniosi si ad intelligendos  
nos opus sit ingenio: Et A. Gellius: Animaduertere est pleraq;  
uerborum latinorum ex ea significatione in qua nata sunt des-  
cessisse uel in aliam longe uel in proximam / eamq; decessio-  
nem factam esse consuetudine & inscitia temere dicentium:  
Quæ cuiusmodi sint non didicerunt. Cornelius uero Tacitus  
in eo libello quem de Claris Oratoribus scripsit / hæc omnia  
latius persequitur / cum in Dialogo Maternum quærentem in-  
ducit: Exprime inquit Materne causas cur in tantum ab elo-  
quentia eorū recesserimus / cum præsertim. Cxx. annos ab inter-  
ritu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit:  
Et subdit. Quis enim ignorat eloquentiam ac ceteras artes  
desciuisse ab ista uetere gloria: non inopia hominum / sed desit-  
dia iuuentutis / & negligentia parentum / & inscitia præcipient-  
ium / & obliuione moris antiqui: Quæ mala primum in Vrbe  
nata / mox per Italiam fusa / tam in Prouincias manant / Quod  
adeo negligitur ab horum temporum disertis ut in actionibus  
eorum / in quoq; uerbo quotidiani sermonis fœda ac pudenda  
uitia depræhendantur: Et subdit: Ut in paucissimos sensus &  
angustas sententias detrudant eloquentiam uelut expulsam  
Regno suo / ut quæ olim omniū artium ut dicunt pulcherrimo  
comitatu pectora implebat / nunc circuncisa & amputata sine  
apparatu / sine honore pene dixerim / sine ingenuitate quasi una

ex sordidissimis artibus discatur / ergo hanc primam & præcle  
 puam causam . . . bitramur cur tantuz ab eloquentia recesserimus  
 Imperfectionem etiam sui temporis testatur Plinius in Episto  
 la Naturalis historię cum libros suos respersos esse affirmat  
 plurimarum rerum aut rusticis uocabulis aut externis / immo  
 barbaris non sine honoris præfatione ponendis: Et ut per gra  
 dus ad summum ascenderit eloquentia Sic eam per gradus ad  
 imum descendisse uideamus . Macrobius etiaz tempora sua hac  
 imperfectione infecta significat cum dicit: Petitum impetra  
 tumq; uolumus ut æqui boni consulant / si in nostro sermone  
 natia Romani oris elegantia desideretur . Apuleius autem  
 quem nostri temporis magis curiosi q̄ eruditi sequi & æmulari  
 student in principio operis sui Latinas litteras ignorare fatetur.  
 In Vrbe inquit latia aduena studiorum Quiritium indigenam  
 sermonem erumnali labore nullo Magistro præeunte aggress  
 sus excolui: En ecce præfamur ueniam siquid exoticici ac forens  
 sis sermonis rudis locutor offendero / iam hæc quidem ipsa uo  
 cis immutatio desultorię scientię stilo quem accessimus res  
 spondet: Quis rogo te ferat non tam Apuleiũ qui ut mali ædi  
 ficii dominus se Architectum non adhibuisse / ita litteras sine  
 præceptore coluisse gloriatur / q̄ aliquos esse q̄ malint fœtores  
 & Quisquilias eius colligere q̄ uerborum floribus perfectissi  
 mæ Ciceronis ætatis / quam signauimus / inhærere: Sed quid alii  
 Apuleto similes insequentium ætatum Auctores de se ipsis &  
 temporum suorum insecitia balbutiant uideamus: Sidonius de  
 suis nugis / talis est ordo inquit / ut sine plurimis nouisq; uerbis  
 quæ præfata pace plurimorum eloquentium specialiter tibi &  
 Complatoniceis tuis nota sunt nugæ ipsæ nō ualuerint expediri  
 Et alio in loco de Liberalibus artibus agens ita loquitur: Virtu  
 tes Artium istarum sæculis potius priscais sæculorum Rector  
 ingenuit: quæ per ætatem mundi iam senescentis lassatis ueluti  
 seminibus emedullate parum aliquid hoc tempore / atq; id in  
 paucis mirandum ac memorabile ostentant . Et alibi: Increbuit  
 inquit multitudo desidiosorum ut nisi uel paucissimi meram la

etialis linguæ proprietatē de Trivialium barbarismorum rubigine  
indicaueritis eam breui abolitam defleamus: Et Fulgentius  
Nostris inquit temporis erummosa miseria non dicendi petit  
studium sed uiuendi flet ergastulum / nec famæ assistendum  
poeticæ / sed famæ consulendum domesticæ. Martianus uero  
Capella / Martianum filium nugas suas non ferentem introducit  
dum in principio operis sui sic orditur. Dum crebrius istos  
Hymenæi uersiculos nescio quid inopinum intactumque molles  
respersum capillis albicantibus uerticem / incrementisque lustralibus  
decuratum nugulas ineptas non perferens Martianus interuenit.  
Quid de aliis aliarum ætatum hominibus dicam? quorum nonnulli etiam  
nostri temporis Scriptores / cum quid scribere sunt aggressi / non solum  
bonorum uerborum delectum neglexerunt sed illud maxime studuerunt /  
ut uel ueteratorum rubiginem / uel nouorum auctorum asperitatem  
suis scriptis admiscuisse / & similitudinem pessimi cuiusque &  
corruptissimi ultro appetuisse uideantur / quo factum est ut non  
solum proprietatem Romani sermonis / uerum omnem pene illam  
suauitatem & quasi salubritatem latinæ dictionis amiserint /  
obliti hunc esse legendi fructum æmulari meliora / & quæ in aliis  
maxime probes / quæ uel inter optimi cuiusque & elegantissimi  
dicta mireris in aliquem usum non sine uenustate atque luce /  
ac munditia uerborum concinna deriuatione conuertere /  
Sicuti Cicero & eius ætatis candidissimi Auctores fecerunt /  
quod ad illud fastigium illam summam & prope diuinitatem  
aspirare nemo possit: illa enim sublimitas quæ imitabilis  
illa quidem uidetur esse cupienti / nihil tamen est  
experienti minus / audendum tamen & ita annitendum  
ut quod assequi non possumus / imitari saltem uoluissē  
uideamur. Sed quoniam nihil nos præcipiendi causa dicere  
neque Magistri sed Aestimatores uideri uolumus / nec  
sermonem nunc tam informamus bonum quæ deterremus  
malum / quantum Cicero & ea ætate latinæ principes  
noua uerba uitauerint: unde omnis latinæ linguæ  
perniciēs comparata est / breuiter ostendamus. Cicero  
in Oratore Oratorem instruens ita præcipit / ergo ille tenuis

Orator modo sit elegans nec in faciendis uerbis erit audax / & in transferendis uerecundus & parcus / & in priscis reliquisq; ornamentis & uerborum & sententiarum remissior: Quintilianus uero usitatis inquit uerbis tutius utimur / noua non sine quodam periculo fingimus: nam si recepta sunt / modicam laudem afferunt / repudiata etiam in locos exeunt / audendum tamen namq; ut ait Cicero etiam quæ primo dura uisa sunt usu molliuntur: sed nobis non est concessa fictio nominum. Si quis aut dixerit Ideo nouanda esse nobis uerba q; eorum penuria laboremus audiant Ciceronem qui de natura deorum ita loquitur: q; illa quæ a græcis accepissent latine dici posse diffiderent / in quo genere tantum profecisse uidemur ut a græcis ne uerborum quidem copia uinceremur: & in Tusculanis O uerborum inops interdum quibus abundare te semper putas Græcia: & de finibus bonorum & malorum / Sed ita sentio / & sæpe differui latinam linguam non modo non inopem ut uulgo putatur sed locupletiore esse q; græcam: Sed dicit aliquis parienda esse necessario noua uerba cum quid ex græco uertendum sit / & minus occurrat uerbum latinum usitatum / sunt enim ut inquit Cicero de finibus bonorum & malorum imponenda noua nouis rebus nomina. Sed ad hoc quasi respondere uidetur. A. Gellius cum dicit: Cum quid ex græco quod non placeret transferre uoluissim hoc ego supersedi uertere / quia nouis & inconditis uocibus utendū esset / quas pari aures per insolentiam uix possent. Sed ipse idem Cicero qui dixit uerba noua parienda esse / imponendaq; noua nouis rebus nomina / usq; mollienda quæ dura præ nouitate uiderentur / q; abstinens illoq; fuerit / que nouitatem uerborum uitauerit infra ponemus / Cum in Bruto declamo / uerbum sui tps nouū / dicere uellet / cōmentabar inquit declamitās Sic. n. nunc loquuntur. Et idem in Libello de Mundo / ut in singulis inquit essent bina media / uix. n. audeo dicere medietates / sed quasi ita dixerim ita intelligatur: Et in Philippicis. M. Antonium notans q; uerbum nouum protulisset / ita dicit / tu porro ne pios quidem sed piissimos quaris / & quod uerbum omnino nullū in lingua latina est / id propter tuam diuinam pietatem nouum inducis

Varro autē de lingua latina docet antiquos etiam uitasse uerba  
nimitū noua: extremū inquit nouissimū quoq; dici cœptū uulgo  
quod mea memoria ut Aelius Gallus: sic senes aliquādo nimitū  
nouum quod esset uitabant: & . A. Gellius quod a . M. Varrone  
proloquiū a . M. Cicerone pronunciatū dictum est: quo Cicero  
tamen uocabulo tantisper uti se attestatus est quoad melius inq̄  
inuenero: Quintilianus autē ueriloquium inquit ipse Cicero qui  
finxit reformidat: Et Cicero de finibus bonorum & malorum  
quasi cum dolore dixit / ut ita dicam indolentia: Varro uero de  
Analogia uerborū / repertores uerborū nouorū damnat ostens  
dens ipsas aures nouitates has quōdammodo respuere cū dicit:  
Tantū inter duos sensus interesse uolunt / ut oculis semp aliquas  
figuras supellectilis nouas conquirant cōtra aures expertes esse  
uelint. Quotus quisq; iam seruus habet priscis nominibus / quæ  
mulier suū instrumentū uestis atq; auri ueteribus uocabulis non  
inductis: non tam illis irascendū est / q̄ huiusce prauitatis patro  
nis: Et idem Aeditimū dici oportere censet magisq; Aedituum  
q̄ alterum sit recenti nouitate fictum / alterum antiqua origine  
incorruptū: Sed pro eo a plerisq; Aedituus dicitur / noua & com  
mentitia usurpatione: Quæ omnia cum ita sint. A. Gellius qua  
si de iis sententiam ferens libro . x. ita scriptum reliquit: Verbis  
uti aut nimis obsoletis exculcatiscq; / aut insolentibus nouatiscq;  
dure & illepide / par esse delictum uidetur: Sed molestius equi  
dem culpatusq; esse arbitror uerba noua / incognita inaudita  
dicere / q̄ inuulgata & sordentia: noua autem uideri dico etiam  
ea quæ sunt inuisitata & desita / tam & si sint uetusta. C. etiam Cæ  
sar libro de Analogia monuit: Infrequens atq; insolens uerbum  
tanq̄ scopulum fugiendum esse: Suetonius quoq; de Augusto  
scribens: Genus eloquentiæ inquit secutus est elegans & tempe  
ratū uitatis sententiæ inepitiis atq; inconcinitate / & recōditorū  
uerborū ut ipse dicit fœtoribus / præcipuāq; curā duxit sensum  
animi q̄ apertissime exprimere. Cacozelos autē & antiquarios  
ut diuerso genere uitiosos pari fastidio spreuit: sed nec Tiberio  
parcit exoletas interdū & recōditas uoces aucupāti. M. quidem  
Antoniuū ut insanum increpat / quasi ea scribētem quæ mirentur

potius homines quā intelligant. Sed opus est inquit dare te operam  
 ne moleste scribas aut loquaris: Quem Augustum. A. Gellius  
 ab eloquentia & latinitate laudat dum dicit: Diuus etiā Augustus  
 memoriarum ueterum exequētissimus / linguæ latinæ non ne-  
 scius munditiarum patris sui in sermonibus sectator. & Cicero  
 de Oratore præclare monet uitanda esse uerba prisca & a consue-  
 tudine sui temporis / quo perfectio sermōis ulgebat / remota  
 cum dicit: Quāquā sunt illi ueteres / Qui ornate nondum pote-  
 rant ea quæ dicebant / omnes prope præclare locuti / Quorum  
 sermone assuefacti qui erunt ne cupientes quidē poterunt loqui  
 nisi latine: nequā tamen erit utendum uerbis iis / quibus iam consue-  
 tudo nostra non utitur / nisi quando ornandi causa parce: Sed  
 usitatis poterit uti lectissimis / & utatur is qui in ueteribus erit  
 scriptis studiose & multum uolutatus / Et sic latine loquamur ut  
 uerba efferamus ea quæ nemo iure reprehendat: Hæc Cicero.  
 Sed quāquā in omni re difficillimū est formam optimi exponere  
 quā aliud aliis uideatur optimū. Varia enim sunt iudicia nec facilis  
 explicatio quæ forma excellat: dubitari tamen a recte confide-  
 rantibus nequaquā poterit quin illa multorum nostri temporis  
 insulsitas & insolentia / ac quædam (ut ita dicam) orationis insa-  
 mia / Siccitas / inopia / a malorum auctorum lectione & imitatione  
 nascatur: Quare cum sit eloquentiæ sicut reliquarum rerum funda-  
 mentū Sapientiā. Vnde in Poetica testatur Oratius / Scribendi  
 recte sapere est / & principium & fons / & in bonis omnia quæ  
 summa sunt iure laudentur. Verborum bonorum delectus est in  
 primis sapiēter habendus idque facile assequemur si delegerimus  
 nostratia / non peregrina / propria nō inepte translata / uisitata / nō  
 noua / pura non horrida / luminosa non tenebricosa / quod con-  
 tingere certe nulli poterit nisi ei qui auctores diuinæ illius Cice-  
 ronis ætatis perlegerit. Sublimitas enim / & magnificentia / &  
 nitor / & auctoritas ex optimis illis eius sæculi auctoribus tantū  
 modo prouenit / ii soli locutionem emendatam / & latinam / &  
 originem / & quasi solum ac fundamentum quoddam eloquentiæ  
 posuerunt. Insequentium autē auctorum lectio doctrinā quidem  
 diuersarum rerum conferre poterit. Elegantiā autē & nitorem

uerborum non poterit / quin potius mixtura uerborum quibus  
illi usi postea fuerunt omnem prope florem incorrupti illius  
sermonis / quem quis ex optimorum lectione collegerit breui  
quasi de manibus excutiet / barbarumque omnino reddet. Cum  
autem quicquid litteris mandatur id commendari omni erudi-  
torum iudicio deceat sitque decus hominis ingenium / Ingenii  
uero eloquentia : nec tam præclarum scire latine / quàm turpe ne  
scire / enti & toto ut aiunt pectore incumbere debemus ut non  
uulgares litteras sed interiores & perfectas / uerborum grauitas  
tem & elegantiam / nitorem & candorem : atque ueram denique  
Romani sermonis eloquentiam de perfectorum illorum quos  
connumerari auctorum fontibus hauriamus. Abiecta / obsoleta  
prisca nimium / & uetusta priorum / nouaque omnia sequentium auctorum  
fugiamus : Sed in hoc uerborum delectu aurium quoque quoddam  
iudicium adhibendum est / quod non arte aliqua perpenditur / sed  
quodam quasi naturali sensu prudentiaque percipitur. Cum uero ex  
uerbis omnis conficiatur oratio / atque ideo illustra uerba ex  
optimo quoque id ætatis auctore legenda sint / ut latina & elegans  
surgat oratio : id quoque maxime obseruandum est nequa nimis  
elaborata concinnitas lumen eloquentiæ potius extinguat / quàm ac-  
cendat : remouendus erit igitur ut ait Cicero omnis insignis orna-  
tus nec calamistri quidem adhibebuntur : fucati etiam medicamenta  
candoris & ruboris omnia repellentur / elegantia tantum / & mun-  
dicia quaeratur / Sermo purus & latinus remaneat dilucidus / lucu-  
lentus / politus / planus / quid deceat circumspicietur : omnis enim  
pars orationis esse debet laudabilis / sic / ut uerbum nullum nisi  
grauè / aut elegans excidat. Cumque in omnibus rebus uidendum  
sit quatenus ne nostra modum excedat oratio / una breuique Ciceronis  
clausula concludemus. Sit inquit modo is qui dicet aut scribet insti-  
tutus liberaliter / educatione doctrinaque puerili / & flagret studio  
& a natura adiuuetur : & uniuersorum generum infinitis disceptationi-  
bus exercitatus : ornatissimos scriptores oratoresque ad imitandum  
cognorit / ne ille haud sane quemadmodum uerba struat & illuminet  
a magistris istis requireret / ita facile in rerum abundantia ad orationis  
ornamenta duce natura ipsa / si modo est exercitata labetur / hæc ille.

Exercitatio autem hæc omnia facile consequemur: *Stilus. n. optimus*  
 scribendi artifex structuram non inopem, non minutam, non  
 interpunctam, sed locupletem, numerosam, aptamque conficiet:  
 Omissis igitur & repudiatis nouitiis istis, & semidoctis quæ ignobili-  
 bus nimis & sordentia, nouata, fictaque uerba de imperfectis aucto-  
 ribus eruere, & in usum latinæ linguæ introducere ac ueluti ciui-  
 tate donare, & quasi in latinam coloniam deducere gestiunt litterarum  
 ostentatione inepti uerius quam gloriosi, elaboremus ueluti apes  
 lectissimis floribus insidere: profsequi enim quod quisque unquam uel  
 contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiam miseriam est, aut  
 certe inanis iactantiam, & derinet atque obruit ingenia melius aliis  
 uacatura, eruditionem uernaculam ac plebeiam & uerborum  
 monstra uitemus eorum hominum qui inquinata & parum com-  
 posite: minusque eleganter scripserunt quorum ita est confusa oratio:  
 ita perturbata, tantaque insolentia, ac peruersitate uerborum interlita  
 ut oratio quæ lumen rebus adhibere debet, obscuritatem potius  
 & tenebras afferat: dum .n. exquisitis nouisque uerbis uti uolunt  
 infantissimi reperiuntur Qui ueluti Sisennæ simioli, cum emen-  
 datores usitati sermonis esse uelint deterreri non possunt quo-  
 minus inusitatis uerbis utantur, nihil aliud recte & latine loqui  
 putantes nisi noue & inusitate loqui uerbisque impropriis gauden-  
 tes redundantibus obscuris, ambiguis, nouis, græcanicis, quo  
 magis eorum expurgandus est sermo, fugiendaque barbaria, edi-  
 scendaque de Cicerone & Ciceronis aequalibus uera latinitas, quæ  
 nihil aliud est nisi incorrupta loquendi observatio secundum Ro-  
 linguam, cuius ut dixi licet ueteres illi quos connumeravi quasi  
 genitores extiterint, eam tamen sæculum illud Ciceronis emen-  
 dauit, excoluit, expoliuit, Sed satis sit hoc admonendi non docendi  
 causa dixisse propter agrestes quosdam, & indomitos certatores:  
 Qui cum imitari nesciant auctores bonos, malos causa nouitas  
 extollunt: nec id uisio mihi dari debet, an ut ait Varro repræ-  
 hendendus sit, qui orationem minus ualentem propter malam  
 consuetudinem traducit in meliorem: an cum quis perperam consue-  
 uerit quid facere in ciuitate non modo patiemur: sed etiam poena  
 afficiemus: iidem si quis perperam consueuerit dicere uerbum non

corrigemus! cum id fiat sine poena! adde q̄ perfugio litterarum  
nihil gratius/nihil iucundius/nihil homine libero dignius inue  
nio. Agitatio enim mētis institutæ ad agendum semper aliquid  
dignum uiro tantisper acquiescit dum in litterarum studiis uer  
satur/ea enim uel discendo/uel scribendo alitur. in eaq̄ scientiæ  
& cognitionis delectatione perfunditur / fitq̄ ut ait . M. Varro  
ut dum ista musitamur pluribus horis uiuamus / q̄q̄ ea demum  
solaḡ dicenda est uita/quæ sine Christo Deo nō uiuitur . Vale,